ſcere, Ruricolis, ac humiliori famulitio cedendo ſedilia tanto conatu, & impendio diſpoſita, niſi hujuſmodi inconſtantia referatur ad æmulativam provocationem odio Supplicantium quoi um præſentia, in præmiſſis novitatibus artificiosè, ab adverſo, curata, gravior, & ſimul evidentior exindè provenit, conjectura contemptus.

Quamobrem (ceſſante in reliquis ope declarationis, ad quam ſublata litis conteſtatione deveniri non poteſt cum illegitimo contradictore, ac citra præſentis cauſæ merita) in hoc ſubſiſtit Supplicantium querela, dicta Scamnorum, & Pulvinarium oſtentatione in eo tantum Supplicantibus inviſa, in quo eorum quieti, & exiſtimationi nocuit; Abſit contentio ſuper jure delationis, ſolo ipſos excruciante tot perturbationum, atque contumeliarum exemplo, latius protrahendo, niſi videri poſſet, argumentum, jam ad ſaturitatem uſque perſpicuum ultra proſequendo, aut tanti ordinis providentiam itidem provocari, aut ſpem prorogari paternę, & providentiæ ſupremę M.V., quam juxta in aliis precibus petita, iterùm à M. V.

Humillimè deprecantur, & ſperant.

Preces
J. C. [illegible] Joannis Franc.ci et
Pauli Ignatii Patrisij
Filii de Gatticis
Contra
Don Ant.o Curtio Gattico

legenda in actis relationis

P. R.

Uod erat optandum maximè Nob. Don Antonio Curtio Gattico Patritio Novarienſi, & fidiſs. M.V. Vaſſallo, ut tandem finis imponeretur moleſtiſſimæ liti contra Supplicantem, eiuſque familiam excitatæ a J. C. Joanne Franciſco de Gatticis, id ſibi contigit ex voto, cum intellexerit cauſam hanc poſt tot circuitus integerrimo M.V. Oraculo eſſe definiendam.

Ut tamen percipiat Senatus M. V., quo titulo, qua actione, qua via, coram quo graviſſimæ contentiones huc uſque fuerint agitatæ, cum ad uſum, & commodum Supplicantis, ejuſque Sororiæ, & nepotum non ſufficeret unicum ſedile a majoribus ſuis ab antiquo repoſitum in Parochiali Eccleſia loci Gattici Diœceſis Novarienſis, aliud ibidem Supplicans inſtauravit de facultate Rev. Vicarii Generalis Curiæ Novarienſis, ut ex ea diei 26. Auguſti 1723., quæ M. V. exhibetur ſign. A.

Quia verò alta mente repoſitum manebat Adverſanti Supplicantis familiam perturbare, illico poſt biduum indoluit porrecto ſupplici libello dicto Rev. Vicario Generali pro transferendo ſedili ſuo ad aliud Eccleſiæ latus in cornu, ut ajunt, Epiſtolæ, ſub aſſerto prætextu, quòd columna Aræ maximæ aſpectum eidem præripiebat; reportato propterea decreto in Ven. Plebanum Parocum loci, ut rem pro ſua maturitate, & prudentia componere ſtuderet ſign. B., ac ſi facultas paucis ab hinc annis Adverſanti conceſſa pro parvo ſedili in memorata Eccleſia inſtaurando, meliorem ipſi titulum tribuiſſet.

Nil tamen oppoſuit Supplicans, quominus adverſarium ſedile ex alio Eccleſiæ latere collocaretur, ſolum inſiſtens, ut ejuſdem ſedilia in veteri ſitu remanerent, ad latus ſcilicet Evangelii, illud autem Adverſantis in loco deſſignato; attamen Adverſans cæptam æmulationem proſequendo de pari ſedilium ſtructura cogitavit, quaſi ſola mutatio ſitus meliorem ſedilis formam importaret; ideòque Adverſantis uxor primo die feſto cum maxima omnium admiratione, & in majori populi frequentia, ſedile ſuum transferri juſſit ad ſitum Aræ maximæ proximiorem, quod tamen priſtino loco reſtitutum fuit à Joanne Caimo Supplicantis villico, ut ex documento ſign. C.

Rebus primævo ſtatui reſtitutis ſperabat Supplicans ſilentium aliquando imponendum prædictis contentionibus; cum tamen Adverſans de menſe Octobris ejuſdem anni apud Ill. hujus Status Moderatorem graviter indoluiſſet, ſedile ſuum priſtino loco fuiſſe reſtitutum, decretum obtinuit in alterum

rum

FONDAZIONE MARAZZA

rum hujus Urbis Equitem, ut ex ejuſdem epiſtolio Supplicanti tranſmiſſo ſign. D. cum ſumma Equitis religio, & prudentia Supplicanti copiam non fecerit de ſupplici adverſario libello, quia de more conviciis, & injuriis pleno.

Eo ipſo tempore, quo Supplicans opportuna incumbentia peragebat penes Equitem delegatum, exponens plurima gravamina ſibi, ſuæque familiæ illata, amicabile experimentum pro ſua pietate excitavit dictus Ven. Vic. Generalis, qui propterea convento proviſionaliter, ut ſedilia in locis antiquis denuo reponerentur, controverſias omnes ſubindè diremit ſub die 26. Julii 1724. deſſignato ſitu cujuſlibet ſedilis, ut ex ſcriptura a præfato Vicario Generali, & partibus firmata ſign. E.

Conventa ſervavit Adverſans uſque ad menſem Septembris 1726., tunc enim neglecta amicabili ſcriptura, & denuo prætenſa ſedilium paritate, hujuſmodi facultatem inaudito penitus Supplicante ſubripuit à dicto Rev. Vic. Generali, conſtructis propterea ſedilibus paris ſtructuræ, dimenſionis, & ornatus, iiſque prope cancellos de facto antelatis. Cumque hac rei novitate permota Supplicantis Sororia labente eodem anno 1726. abſque ullo ſtrepitu, vel Adverſantis præjudicio reſtitui juſſiſſet ſedilia loco deſſignato, injurioſiſſimum libellum porrexit Adverſans dicto Ven. Vic. Generali ſign. F., idque fuit in cauſa, cur præfata Sororia Supplicantis poſthabito ſedilium uſu, quæ tot litigia ad illam uſque diem pepererant, deferre cœperit ſcamna in Eccleſiam juxta generalem conſuetudinem paſſim ſervatam, & nobilis familiæ qualitatem.

In hoc itaque rerum ſtatu, novo amicabili tractatu neglecto, de quo in documento ſign, G. novarum rerum cupidus Adverſans in ſupplici libello S. E. porrecto aſſerere non dubitavit, quod Supplicans plurima in ejuſdem præjudicium attentaverat, præpotentiam exercens, ſcamna præponens ejuſdem ſedilibus, plurima demum per calumniam exponendo, delegationis decretum ſubripuit in Egr. Capitaneum Juſtitiæ, cum ſucceſſivo ejuſdem præcepto ſign. H. I., revocato tamen ab Egr. Vicario Juſtitiæ de mandato S. E., ob maniféſta gravamina Supplicanti, ejuſque familiæ illata, ut ex documentis ſign. L. M.

Nil aſſecutus Adverſans coram Gubernio, adiit ſupplici libello Eminentiſſimum Antiſtitem Novarienſem, digniorem locum ad ſe ſpectare contendens, velut unicum Eccleſiæ patronum, reportavitque decretum pro executione enunciatæ conventionis proviſionalis; de quo monitus Sup-

pliçans

plicans ſupplicem libellum S. E. porrexit, ne ſineret Curiam Novarienſem manum apponere rebus jam deciſis, in quem ſenſum propterea prævio Fiſci Voto reſcripſit ſub die 7. Septembris nuper evoluti Excellentiſſimus Moderator, ut ex documento ſign. N.

Cognito demum per Adverſantem, nullum artibus locum ſupereſſe nec coram Gubernio, nec in Curia Novarienſi, adiit nuperrimè, ut auditum eſt, Supremum hunc Ordinem novo ſupplici libello, inter alia contendens ſe ſe Eccleſiæ patronum, ſuamque familiam Supplicantis ſtipiti univocam, præter plurima convicia, quæ gravem M. V. animadverſionem requirunt, quaſi Supplicans de facto propria authoritate, dominandi libidine, abſque ulla facultate, ſedilia retineret, ejuſdemque Sororia ad ſolum conviciandi animum ſcamna detuliſſet.

CUm verò principalis cauſa verſetur circa libertatem Eccleſiæ, vel ſervitutem, a qua pendet licita, vel illicita ſedilium appoſitio, & retentio, ſpectanda ſummopere occurrit regula apud omnes receptiſſima, quod alleganti Eccleſiam eſſe in ſervitute, ſicque de jure patronatu, onus incumbit exquiſitæ & concludentis probationis, cum in dubio præſumptio ſtet pro libertate, & excluſiva ſervitutis (1).

(1) de Luc. *de jurepatr. diſc.* 57. *num.* 5. & cæteri paſſim.

Firmior autem evadit libertatis natura ex defectu requiſitorum ad acquirendum patronatum, quæ requiſita in tribus reſident ſpeciebus; in fundatione ſcilicet, ut nempe privatus ſit fundus, & ad Eccleſiæ conſtructionem traditus, reſervato præciſè patronatu; in conſtructione ære privati, ſeu privatorum, cum eadem expreſſione, ſeu reſervatione acquirendi patronatus; in dotatione a privato, ſeu privatis facta, cum ſolemnitate Ordinarii conſenſus ad acquirendum patronatum omninò neceſſarii (2).

(2) Barboſ. *de jur. Eccl. univerſ. lib.*3.*cap.* 12. *per tot.* Vivian, *de jurepatr. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 34. & *lib.* 2. *cap.* 1. *nu.* 7. Rot. *deciſ.* 517. *num.* 3. *p.* 1. *rec.*

Quo tamen fundamento vel in jure, vel in facto docere unquam poterit Adverſans, reſervatum fuiſſe patronatum, traditum fundum a privato, conſtructum, dotatum, cum revera oppoſitum undequaque colligatur, eademque Parochialis Eccleſia ex piis obventionibus fundata fuerit, conſtructa, atque dotata, ideòque dici non poſſit de ullo patronatu, ſed prorſus de libero (3) cum oblationes militanti Eccleſiæ præſertim ad Dei cultum deſtinatæ, acquirantur (4) quo demum fundamento impedire valet Adverſans Supplicantis ſedilia in digniori loco retineri, ſcamna in Eccleſiam deferri, cum prædicta pendeant duntaxat a libera, & abſoluta Epiſcopi poteſtate, ad quem ſpectat libertatis defenſio, munimen, & Eccleſiæ tuitio in materia ſervitutis,

(3) Vivian. *d. tract. lib.* 1. *cap.* 2. *nu.* 58.

(4) Barboſ. *d. lib.* 3. *cap.* 23.

quæ

FONDAZIONE MARAZZA

quæ ex hujuſmodi ſedilium retentione imponitur (5).

Prædicta juris principia inutili conatu declinare ſtudet Adverſans, ob aſſertam ceſſionem in eum factam a Ven. Joanne Baptiſta Gattico antequam profeſſionem emitteret inter Canonicos Lateranenſes, ac ſi acquirendo ex ea patronatum, & advocatiam Eccleſiæ in loco Gattici, Supplicantis invidiam ad injurias, & ſcandala excitaverit: incongrua non minùs, quàm calumnioſa narratio.

Licèt enim Adverſans prædictam ceſſionem ab adoleſcente ſubripuerit, ſuffecto Notario alumno ſuo ad rogitum Inſtrumenti, plures incompetentium titulorum expreſſiones continentis; hæc tamen ceſſio nondum effectum ſortita, nec de facili habitura (cum de jure nequaquam ceſſibili ageretur) licèt etiam ſubſiſteret, non equidem deferret patronatum, & advocatiam Communalis Eccleſiæ publico ære ædificatæ, reparatæ, atque inſtructæ, ſed duntaxat jus nominandi Parochum a prætenſo patronatu undequaque diverſum, nec ullatenus aptum perturbare familiæ nobilis poſſeſſionem in materia ſedendi.

Eaque omnium eſt ratio, quòd hujuſmodi ſedes nobilibus, atque illuſtribus viris pro qualitate graduum, & perſonarum paſſim conceduntur juxta æquiſſimam Conſtitutionem a Sanctiſſimo Clemente VIII. renovatam in hæc verba: *ſedes autem pro nobilibus, atque illuſtribus viris laicis &c. plus minuſve pro cujuſque dignitate, & gradu ornatas decet extra Chorum, & Præsbyterium collocari juxta Sacrorum Canonum præſcriptum laudabiliſque antiquæ diſciplinæ documenta jam inde ab exordiis Chriſtianæ Religionis introducta, ac longo tempore obſervata* (6) ideòque paſſim invaluit opinio receptiſſima, quod quemadmodum patronatus laicis confertur ex gratia, ita ex gratia, vel alio jure ſaltem quoad uſum acquiritur jus retinendi ſcamna, vel ſedilia in Eccleſia (7), quod licèt propriè dici nequeat patronatus, ad ejus tamen ſimilitudinem habetur, & largo modo patronatus nomine appellatur (8).

Hinc de communi concluſione planè colligitur, ſtante hujuſmodi ſedilium acquiſitione, poſſe laicos dicere ſuum eſſe locum, quantum ad uſum (9) eoſque licèt abuſivè, & impropriè dominos appellari (10) competere manutentionem pro ſervanda quaſi poſſeſſione ſedendi in Eccleſia cum pulvinaribus, & ſubſelliis in loco digniori cum aliorum præcedentia (11) in dubio pronunciandum eſſe pro poſſeſſore, (12) licèt poſſeſſor non ſit ulla juriſdictione munitus, verùm etiam privatus (13), agi poſſe actione injuriarum, & Judicis officio adverſus quemlibet amoventem ſcamna, vel ſedilia (14),

(5) Rot. *deciſ.* 479. *nu.* 4. *& ſeqq. p.* 19. *tom.* 2. *rec.*

(6) quam refert, & ſequitur Lagunez *de fruct. p.* 1. *cap.* 30. *§.* 1. *nu.* 26. 53.

(7) ut arguunt relati per Gratian. *diſcep.* 110. *nu.* 19. *diſcept.* 210. *num.* 46. 47. Lagunez *loc. cit. nu.* 32. 33.

(8) juxta firmata per Vivian. *de jurepatr. lib.* 3. *cap.* 2. *nu.* 55. Lagunez *loc. cit. nu.* 34. Ciarlin. *contr.* 210. *nu.* 23.

(9) ut cum aliis notant Ciarlin. *dict. contr.* 210. *n.* 55. Lagunez *loc. cit. nu.* 35.

(10) ut proſequitur explicare Lagunez *loc. cit. nu.* 36.

(11) ut pluribus allegatis docent Ciarlin. *contr.* 119. *num.* 19. *contr.* 210. *num.* 13. Lagunez *loc. cit. nu.* 38. *& ſequ.* Capycelatro *deciſ.* 181. *nu.* 11. 52. Sanfelic. *deciſ.* 331. *n.* 18. 19.

(12) Gratian. *diſcep.* 110. *nu.* 18. Sanfelic. *d. deciſ.* 331. *nu.* 20.

(13) ut cum aliis notat Sanfelic. *loc. cit. nu.* 11.

(14), imò licere poſſeſſori armata manu defenſionem (15).

Cum verò prædicta quaſi poſſeſſio ſedendi in Eccleſia unico actu acquiratur, (16) nulla excitari poteſt controverſia ad perturbandam Supplicantis poſſeſſionem, munitam immemorabili conſuetudine ſummoperè inſpicienda, & omninò ſervanda, cum per eam uti ſecuriorem, ac firmiorem regulam diſtinguantur quælibet præcedentiæ, quæ in communi hominum opinione plerunque conſiſtunt (17), & conſuetudo in ſimilibus pro lege ſervetur (18), licèt expreſſus Superioris aſſenſus non interveniat, cum etiam tacitus, & præſumptus ſufficiat (19), nec unquam majores cedentis auſi fuerint prædictam poſſeſſionem perturbare.

Vindicata ex his libertate Eccleſiæ, & Supplicantis poſſeſſione mirum accedit, quòd Adverſans, ut notam æmulationis in Supplicantem, ejuſque familiam refundat, communem ſibi, ac Supplicanti ſtipitem jactet, eandemque utriuſque familiæ originem, id tantum diſcriminis agnoſcens, quòd proximiores aſcendentes ſui, Urbis ſtrepitus, & honores non curaverint, ſive ex privatæ vitæ genio, ſive ad reparandum patrimonium diminutum exceſſivis dotationibus fœminarum, quæ familiæ ſuæ noviſſimam ætatem fœcundarunt; econtra in familia Supplicantis fervidior fuerit civicarum dignitatum, & extrinſeci ſplendoris cultus, iſque viam aperuerit diſſidiis utrinque vertentibus.

Mirabitur quiſque, quàm inconſultò id attigerit Adverſans, a quo Supplicans pro ſua moderatione temperabat, & adhuc temperaret, niſi Adverſans, qui ad cauſæ momentum retulit figuratam propriæ conditionis qualitatem, facilè pro confeſſione arrepturus eſſet indulgentem præteritionem.

Quod enim Adverſans ſuam trahat originem a Nobilibus de Caſtello, ſeu Comitibus Caſtri Gattici, ideòque communem cum Supplicante ſtipitem ſortiatur, in meram deſinit oſtentationem, cum prædicta nobilitas remaneat concludenter probanda veteribus monumentis, ſitque econversò notorium patrem, alioſve Adverſantis majores rurali capitationi obnoxios fuiſſe, ut ex documentis ſign. O. P., nec unquam ſimili oſtentatione captus fuerit Adverſantis pater, licèt paulò eminentiori ſorte donatus longo temporis ſpatio miniſter extiterit apud Exactorem præfatæ Communitatis, ut ex documentis ſign. Q. R. nullo propterea honeſto titulo ejuſdem majoribus conceſſo, nec in actis, nec Inſtrumentis, ut ex iis, quæ M. V. exhibentur ſign. S.

Poſſet

(14) ad tradita per Gratian. *d. diſcept.* 110. *nu.* 14. *diſcept.* 210. *n.* 32. Capycelatro *d. deciſ.* 181. *nu.* 17. cæteris adductis.

(15) ut ex Bald. in *l. obſervare §. antequam in fin. ff. de offic. Proconſ.* notant. Gratian. *diſcept* 110. *n.* 16. *diſcept.* 210. *n.* 32. Ciarlin. *contr.* 119. *n.* 10. Sanfelic. *d. deciſ.* 331. *num.* 14. Capyc. *d. deciſ.* 181. *n.* 13. *& ſeqq.* Lagunez *loc. cit. n.* 45. *& ſeqq.*

(16) Gratian. *diſcep.* 110. *nu.* 17. *diſcept.* 210. *nu.* 41. Poſt. *de manut. obſer.* 18. *nu.* 24. 25. Ciarlin. *contr.* 119. *n.* 6. *contr.* 210. *n.* 14. Lagunez *loc. cit. nu.* 41. Capycelatro *d. deciſ.* 181. *n.* 24. Sanfelic. *loc. cit. nu.* 20. Rot. *deciſ.* 533. *nu.* 2. *p.* 1. *rec.*

(17) ut pluribus allegatis firmat Lagunez *loc. cit. nu.* 136.

(18) Sanfelic. *dict. deciſ.* 331. *n.* 22. Menoch. *conſ.* 126. *n.* 2. Lagunez *loc. cit. n.* 137. & cæteri paſſim.

(19) Ciarlin. *contr.* 210. *nu.* 19. 20.

FONDAZIONE MARAZZA

Poſſet hoc loci Supplicans recenſere, quot, & quanta eaque graviſſima urgeant contra prætenſam nobilitatem tum circa nuptias, quas ejus amitæ, & ſorores contraxerunt, tum circa reſultantia ex libro Baptiſmatis, & matrimoniorum, ut ex atteſtationibus ſignat. T. V. apertè confutantibus adverſarium aſſumptum; quia tamen honeſto, nobilique Viro propoſita eſſe debet proprii ſtatus moderata defenſio, id unum ab Adverſante retineri optaret, quàm arduum opus ei fuerit aſſequi tabellionatum a Collegio Novarienſi, quia deeſset vel mediocris illa conditionis honeſtas ad hujuſmodi officium requiſita, quàm indecorum ſit haſce gratias rependere pro eximia ope Adverſanti præſtita a Patre Supplicantis, ut Notarius fieret, aliiſque plurimis, quæ ipſe olim veritatis, & conditionis ſuæ cognitor accepta referebat ejuſdem Supplicantis familiæ, ut ex epiſtolio ſign. X.

Nec minus notandum occurrit, quod Adverſans poſt hanc ceſſionem ſub artificioſa ſpecie præteritionis attingit abraſionem quandam litterarum diſtinguentium, ut ait, ejus ſedilia in Eccleſia Sancti Quirici Novariæ ſecutam anno 1711.

Hoc unum deerat, quod authorem diceret Supplicantem, aut quempiam de ejus familia, quia ægrè ferret prædictam ceſſionem; licèt tamen id apertè aſserere auſus non fuerit retinens ceſſionem eſse longè poſteriorem, nec ullam unquam de Supplicante, ejuſque familia concipi potuiſse ſuſpicionem rei tam ineptæ, ac vilis; ipſa tamen hujuſce facti mentio in precibus, in quibus de Supplicante conqueritur, non eſt prætermittenda, quin ſaltem Adverſans cogatur ſe ſe explicare, ſtatuto termino ad probandum, & probatione in termino non præſtita locus Supplicanti fiat procedendi de calumnia, quæ graviſſima emergit, cum factum, natura facti, imò poſſibilitas ipſa reſiſtat.

Parcat demum Adverſans graviſſimæ indolentiæ pro ſtemmate incerta manu deturpato, cum non ſolùm innocentia Supplicantis plenè reſultet ex documentis coram Fiſco productis, & penes Ampliſs. P. Com. Cattaneum exiſtentibus, verùm etiam certiſſimum authorem fuiſse Adverſantis affinem, clarè probet atteſtatio, quæ M. V. exhibetur ſign. Z.

His in jure, & in facto validiſſimis fundamentis undequaque urgentibus favore Supplicantis, & pro honeſtiſſima familiæ ſuæ defenſione ab eodem expoſitis (ſi quæ fortaſse reticuit Adverſans) dignoſcat Senatus M. V., an ullum veritatis ſpeci-

ſpecimen præſeferant adverſariæ indolentiæ, an Supplicans in aliquo deliquerit, an juſtè poſtuletur de injuriis, contraventionibus, & attentatis, an talis ſit, qualis non ſine maximo convicio, & per gravem calumniam ab Adverſante exponitur, an demum ſibi de facto juſtitiam fecerit, cum omnia authorante Epiſcopo, vel Gubernio peregerit, an verò quodlibet attentatum, quævis contraventio, & injuria adſcribi debeat J. C. Adverſanti, qui novas ſemper diſſidiorum cauſas excitavit, vel univocam cum Supplicante originem jactando, vel ceſſi patronatus jura promovendo ad perturbandam, ſi fieri poſſet, antiquiſſimam, nec ullo unquam tempore controverſam Supplicantis poſseſſionem in prælativo jure ſedendi in memorata Eccleſia Parochiali.

Utque propterea poſt tot litium circuitus, & impendia opportunà providentià conſultum remaneat indemnitati Supplicantis, ejuſque familiæ, ad ſupremam M. V. juſtitiam ſupplex confugit eam

Humiliter exorando dignetur decernere manutenendum Supplicantem, ejuſque familiam in poſseſſione juris ſedendi in loco digniori in prædicta Eccleſia loci Gattici, item ſcamna cum pulvinaribus in eandem deferendi, ſtatuto Adverſanti termino ad probandum circa factum Novariæ ſecutum in Eccleſia S. Quirici, & probatione in termino non præſtita licere Supplicanti agere de vera calumnia contra Adverſantem, eo in omnibus obaudito, & damnato in expenſis, & damnis Supplicanti indebitè cauſatis. Quod &c.

FONDAZIONE MARAZZA

PRECES

Nob. Don Antonii Curtii
Gattici

CUM

J. C., & Novariæ Notario
Joanne Franciſco Gattico.

FONDAZIONE
MARAZZA